



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio IV. Ratio sententiæ communis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

lentia. quod cum aliquibus Thomistis probabile cenfet Nazarius; p. q. 2. a. 11. controu. 1. q. 4. vers. *Si quasi sit.* Vnde poterit humanitas concipi prius ratione & tempore operans, quam subsistens.

§. 21. Obijcis Primò, effectum formalem suppositi esse reddere naturam existentem per se independentem à subiecto inhaesionis: ergo non potest natura mereri suppositum. Nego antecedens, vt ostendi disp. 11. Metaphys. à §. 66. tota autem ea sect. 6. expliciti formalem effectum subsistentia: quam §. 80. dixi esse complementum substantiale naturæ in ordine ad esse.

§. 22. Obijcis Secundò: Natura sic existens absque supposito esset sensibilis omni sensu, actiua, & passiuia, item & singularis: ergo esset cum supposito: quia suppositum dat singularitatem, vt dixit S. Thomas art. 2. & reddit naturam actiuam & passiuam: si verò non esset sensibilis, esset merè ideæ Platonicæ. Respondeo, naturam illam fore singularem, actiuam, passiuam, & sensibilem omni sensu, nego tamen eam habere suppositum. & quidem S. Thomas fatetur assumptam humanitatem indiuiduam, & singularem; quod non habet à Verbo formaliter: id enim quis non irrideret? est enim omne ens reale singulare seipso; quia est vnum numero seipso: singulare autem exponimus vnum numero. est item seipso indiuiduum: quia est indiuiduum in se, & diuisum ab alio, id est, non potest diuidi in alia, quæ sint idem realiter & adæquatè cum illo. in quo fitam esse indiuiduationem ostendi in Metaphys. disp. 5. à §. 1. S. Thomas explicandus est egisse de singularitate completa, non de incompleta.

§. 23. Negauit fundamentum huius opinionis: nunc concedo disputandi gratia, non posse naturam creatam existere sine aliquo supposito. probo inde non sequi, humanitatem Christi non potuisse mereri vnionem hypostaticam: quia humanitas multa potest mereri, sine quibus in genere esse non potest, vt vbi, existentiam in tali tempore, & id genus alia. Quia licet non possit esse absque aliquo illorum; nullum tamen est principium per se actionis liberæ, nec naturæ operantis.

§. 24. Obijcis Primùm, accidens non posse concipi operans sine creatione, aut educatione: ergo nec humanitas sine supposito. Nego consequentiam: quia creatio aut educatio sunt rationes, à quibus pendet ipsa virtus operatrix à priori, & non à posteriori: existentia ergo concipi non potest sine productione antecedenti aliqua prioritate naturæ; licet imperfecta: suppositum autem non est nisi posterius natura ipsa humanitate: est ergo absumptis ratio.

§. 25. Obijcis Secundò, actiones pendere à supposito à priori: quia actiones sunt suppositorum. Iam ostendi vol. 1. disp. 11. Metaphys. §. 110. substantiam creatam non esse principium per se influens in actiones naturæ; sed esse conditionem substantialem, sine qua natura non existit. ob quod actiones tribuuntur toti supposito: naturæ quidem vt operandi virtuti; substantiæ autem vt conditioni substantiali, & conceptui intrinseco hominis, leonis, &c. In diuinis alia est ratio: quia productio est inter distincta realiter: quod ibi non est nisi inter supposita opposita.

§. 26. Ad argumentum ex §. 23. distinguo Minorem: natura non potest existere nisi in se, vel in

alio à parte rei, permitto: obiectiue immediatè, ne- s. Thom. 2. go. item non potest exiltere sine supposito, vt influente per se in actionem, aut eius virtutem, nego: vt conditione substantiali consequente naturam, & per se, nec influente, nec conditione immediata ad actionem, concedo: ergo non potest cadere sub meritum naturæ, nego consequentiam.

S E C T I O I V.

Ratio sententiæ communis.

§. 27. Sententiam communem probare possumus Primò, ex August. adducto disp. 25. §. 7. negante humanitati Christi actionem aliquam naturalem, aut supernaturalem, qua se disposuerit ad vnionem. & licet tantum factum sonare videatur; tamen rationes eò tendunt, vt etiam potentiam negent: nam si ex natura sua Christus potuisset eam habere, vnde August. tam constanter colligeret eam non habuisse; cum ad id nullum afferat Scripturæ testimonium, quo probetur illam potentiam impeditam? Itaque ex naturali impotentia operandi ante suppositum colligit negationem operationis. Christum eam non habuisse alio tempore præcedente, non aliunde probat, quam ex principijs fidei contra Photinum.

§. 28. Secundò probatur à priori. Quod prius natura; & in præuisione diuina antecedit meritum, non cadit sub illud ex natura rei, vt disp. 27. probabo: sed vnio hypostatica ex natura sua, & in præuisione Dei antecedit omne meritum Christi: ergo. Probo Minorem, quia vnio hypostatica gerit vices suppositi naturalis: sed hoc natura sua, & præuisione Dei antecedit omne meritum animæ, quam terminat: ergo & vnio. Probo Minorem, quia naturale suppositum est conditio antecedenter requisita ad operationes, vt patet ex communi Theologorum assensu, & proverbio, *actiones sunt suppositorum.* quod probaui disp. 11. Metaphys. à §. 111.

§. 29. P. Vasquez disp. 21. cap. 3. hanc rationem impugnat. Primò, quia est minus certa conclusio: ne. Secundò, quia suppositum non est conditio requisita ex parte principij ad agendum: quia humanitas potest esse principium quod operationum: nam quod est productum vt quod, potest esse principium quod operandi: sed humanitas producit vt quod, quia iam intelligitur producta antequam assumatur: ergo. Tertio, quia accidentia à subiecto separata operantur, ita vt subiectum nihil conferat operationi. Quarto, quia variato supposito non variatur actio.

§. 30. Non vrgent hæc fundamenta ad deferendum commune principium S. Thomæ, & omnium Theologorum (si ab Scotticis discedas.) quod ad eò verum est, vt Ioannes ille celeberrimus Theologus Latinus in Concilio Florentino, maxime sess. 18. bene ante finem eam sententiam adstruxerit, vt communem in omni schola: Porro autem, iniquiens, actiones iuxta omnem Philosophorum scholam suppositorum esse videntur, vt in hominum generatione fieri videmus. Vnde hoc adagium non leuiter comparat auctoritatem.

§. 31. Respondet P. Vasquez eam propositionem non fuisse confirmatam auctoritate Concilij, quod

S. Thom.
q. 2. art. 11.

quod definiuit sententiam propugnatam à Ioanne, nihil de fundamento curans. Nam & in VII. Synodo ait à quodam Patre affirmatum angelos esse pingendos, quia sunt corporei: sententiam adprobauit Concilium, non rationem.

§. 32. Miror à P. Valquez tanti fieri, hoc adagium non traxisse ortum ab Aristot. tamquam nihil sit accipiendum nisi ab Aristotele; tam parui autem, illud adeò esse commune omni scholæ, vt id publicè doceatur in generali Concilio, & de eius communitate non dubitetur, ne ab ipsis quidem aduersarijs acutis Philosophis & argutis, qui ea propositione premebantur, quam tamen non sunt ausi inficiari. Si hanc propositionem Concilium stabilisset, exiguam gratiam haberem eam concedentibus: est que prædurum expectare definitione Concilij generalis ad admittendam philosophicam propositionem: quam non contendo esse de fide, sed adeò commune, vt sit omnium ferè Theologorum, vtque talem in Concilio propugnatam. Quod affert è VII. Synodo, non vrget; tum quia si quid probaret, probaret quidem eam rationem illius Patris à toto Concilio Niceno fuisse probatam: quia act. 5. agens de adoratione imaginum angelorum iussit recitari disputationem longè ante Concilium habitam inter Ioannem Thessalonicensem Episcopum & quemdam Iudæum, vbi probabat Ioannes angelos esse pingendos; quia non sunt omnino corporis expertes. quæ recitata, & silentio facto Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus Concilij pates dixit, *Animaduertatur dictum: ostendit autem Pater quòd & angelos depingi oportet, quando circumscribi possunt: sacra Synodus dixit, etiam domine.* Quare, si illa ratio probata fuit, à toto Concilio fuit probata: at verò neque eam Tarasius probauit, sed petiuit, vt animaduerteteretur eam redditam à Ioanne; Concilium autem respondit id iam esse animaduertitum: animaduertere autem non est probare. Hæc de illo exemplo.

§. 33. Fateor sæpè à Concilij sententiam definiti non proba: à ratione, qua eius auctores eam probant, vt contigit Ioanni Thessalonicensi in Concilio II. Niceno: qui eam probationem ibi dixit sine disputatione & examine. At in nostro casu maximi ponderis est Ioannis auctoritas, qui in Concilio generali admodum Scholastico, quò cõuenerant sapientissimi quique Latini cum Summo Pontifice Eugenio IV. & Græci cum suo Imp. Ioanne Palæologo ad componendam controuersiam de processione Spiritus sancti ex Filio, in qua diuiserant Græci à Latinis per multa annorum centena. Pro Græcis disputauerunt Bessario Archiepiscopus Nicenus, & Marcus Episcopus Ephesinus: pro Latinis Andreas Episcopus Colossensis, & Ioannes Prouincialis alicuius Ordinis (vt colligo ex quibusdam Eugenij verbis.) Inter hos more scholastico concertatum est per multos menses. Bessario conuictus argumentis Ioannis se & Græcos Latinis vniuit, deinde donatus est Cardinalatu: Marcus autem ita obduruit, vt nec voluerit reduci, nec præ rubore ad disputationem redire. Et ipse Imperator falsus est Græcos suos obmutuisse: Ioannes verò vt triumphator acclamatus est, indeque Theologi cognomen accepit: totaque eius disputatio est admiranda, cuius præcipuum fundamentum fuit hoc de actionibus suppositorum, quod vt primum principium fuit à Ioanne

positum, & à Græcis admissam, quo illustrauit, & totum hunc articulum fidei, & obscuram Basilij Magni sententiam, cui Græci nitentur. Nonne plura est habenda hæc propositio, magisque de philosophia Christiana merita, quam si esset ab Aristotele? est que latum discrimen inter Ioannem Thessalonicensem in Concilio Niceno, & Ioannem Theologum in Florentino: quia ratio Thessalonicensis à nullo fuit examinata; Theologus autem proposuit illud principium approbatum à Patribus.

§. 34. Actiones autem esse suppositorum, videtur ex naturæ fontibus haustum. Quis vnquam dixit petreitatem genitam fuisse à pauleitate, aut humanitatem esse mortuam, aut negotiari? Petrus dicitur generare filios, homo mori aut negotiari: si suppositum est omnino per accidens actioni, nec modo vllò est principium aut conditio illius magis quam albedo, cur dicitur homo generari potius quam album? Rationem reddidi disp. 11. Metaphys. à §. 110. quia suppositum pertinet ad constitutionem hominis formaliter, sine quo non est homo; humanitas verò cum sit hominis essentia, prius respicit comprincipium, cum quo faciat hominem, quam operationes hominis: prius est enim homo, quam operatio humanitatis. Ea que propter disp. 2. Physic. à §. 97. adscripti formæ atque materię subsistentias proprias priores mutua vnione.

§. 35. Dices à P. Valquez non admitti subsistentiam priorem vnione. Sed nec bene negatur: negata tamen adhuc est prior subsistentia humanitatis quam actio. Nam in ea sententia licet potentia spirituales (etiam si sint accidentia) sint simul natura cum subsistentia: quia vtrumque oritur ex essentia sine dependentia vnus ab alio; at operatio est posterior: quia operari anima non potest ex natura rei nisi prius compleatur in suo existendi modo: quia prius est constituere hominem, quam operari: nec petit tunc operari nisi in homine, licet propterea passionibus tunc effluant, nisi etiam velis dicere eas esse natura posteriores vnione corporis & subsistentiæ. Vt autem accidentia prius vnuntur subiecto, quam operentur, ea que propter subiectum dicitur per illa operari: ita subsistentia requiritur. Complexum autem ex natura & subsistentia quod est suppositum, vel persona, dicitur operari, quia natura compleatur per subsistentiam in compositione substantiali.

§. 36. Ad Primum in §. 29. responderetur, rationem ipsius P. Valquez quam impugnaui, esse etiam minus certam conclusione: quia in propositionibus pendentibus ab auctoritate ratio naturalis non multum vrget. Hinc oriuntur dissidia inter Theologos non tam in dogmatis, quam in illorum probatione. Certissima est conclusio, Spiritum sanctum non esse Filium, quam P. Valqu. ratione minus certa probat, sumpta ex conceptu imaginis: quam ego in Trinitate impugnaui. Ad Secundum responderetur, suppositum non esse principium immediate influens; sed conditionem necessariam existentia: humanitas autem in ratione influentis est principium quo & quod: sicut calor in ratione calefacientis, quod summum probat illa ratio de termino actionis. Quæ tamen videtur imbellis: quia terminus actionis potest esse terminus quod, & ratio agendi quo. V. g. in sententia distinguete intellectum ab anima, intellectus est terminus quod

ema-

emanationis naturalis: ille enim est qui emanat, & non producit intellectiōem ut quod. Ratio à priori, quia ad terminandam actionem sui non eget alia re ut termino; secus ad agendum: quia potest esse instrumentum alterius: item anima creatur ut quod, & sentit ut quo. Idem contingeret si species impressa crearetur, qua intelligeremus ut quo. Deinde omnis forma materialis generatur ut quod prius natura, quam unio, ut dixi disp. 5. Physic. Adde, licet humanitas secundum unionem terminet unionem corporis & animi, non tamen hominis generationem: quæ includit generationem substantiæ. ex utraque autem conflatur adæquata hominis productio; singulæ autem sunt partiales. Unde humanitas non est terminus quod adæquata generationis, sed homo. Ostendi item in Trinitate principium quod diuidi in completum, & non completum: non completum, est natura præcisa substantiæ; completum, est complexum ex natura & supposito.

§. 37. Tertium argumentum à nobis est. Nam actiones accidentium adscribuntur subiectis, à quibus pendet existentia accidentium, cui opponitur

substantia, quæ est perfectitas secuta creationem: *S. Thom.* si autem accidentia operantur separata, non est quod actio natura sua non supponat subiectum ut principium per se suæ causæ; sed quia subiectum non influit immediatè in actiones sui accidentis, causalitas autem subiecti in accidens suppletur à Deo per creationem: at rectè potest effectus pendere per se, & non per accidens, ab aliqua re, quæ in illum non influat immediatè.

§. 38. Quartum probat, actionem non oriri immediatè à supposito; non tamen probat suppositum non esse per se necessarium: ut enim subiectum non est causa per accidens actionis oræ à suo accidente, licet in illam non influat immediatè, sed est causa per se; ita & suppositum, per cuius separationem natura, & eius actio erant peritura, nisi diuinitus impediretur interitus. Dico *causam per se*, id est, non omnino per accidens: iam enim ostendi volum. 1. disp. 8. Physic. à §. 86. causam remotam non esse propriè causam, sed per accidens in rigore, denominatione autem est causa. Hæc obseruantur in quæstionem 59. ad impeccabilitatem Christi.

DISPUTATIO XXVII.

Vtrum per potentiam absolutam Christus potuerit suam unionem mereri?

SECTIO I. Docti cuiusdam opinio.
SECTIO II. Opinio Patris Suarez.

SECTIO III. Ratio conclusionis.

§. 1.



uestio est de eodè instanti reali, quo primò habuit unionem, non verò de operibus tempore prioribus unione hypostatica: an humanitas Christi, ut est ex natura rei prius unita Verbo, quàm bene operans; potuerit è conuerso diuinitus operari prius natura quàm uniri, & Deus moueri eo opere ad conferendam unionem? ut hæc propositio sit vera: *Ideo data est unio, quia Deus præuidit humanitatem operari: ut, ideo datur gratia, quia homo est contritus.*

§. 2. Negant Patres Vasquez atque Ragusa fundamentis iactis, & dirutis disp. 26. sect. 2. & 3. Caietan. autem hoc art. affirmat, subscribit P. Suarez disp. 10. sect. 4. §. Hæc sententia. Cui etiam subscribent, qui naturam creatam censent posse diuinitus absque vlla substantia seruari, ut P. Valentia adductus disp. 26. §. 20. & in parte Nazarius ibidem adductus; & ex recentibus nonnulli: quorum sententiæ suffragor & ego, rationibus refragaturus.

SECTIO I.

Docti cuiusdam opinio.

§. 3. **N**eotericus quidam Theologus doctrina & ingenio non vulgari, hæc opinatur. Potuit Deus decernere hanc humanitatem Christi in particulari, & illi decernere suppositum vagum & indeterminatum, cum quo supposito humanitas potuit videri bene operans: sed visâ tali operatione potuit moueri ad decernendum illi suppositum Verbi: ergo. Maior probatur, quia in mille casibus constitui debent in Deo istæ indeterminatæ voluntates, ut cum vult cum libero arbitrio creato concurrere ad operandum liberè, tunc autem præscindit ab hac, vel ab illa operatione. Adde, cum dat optionem hominibus vnum è duobus efficiendi, ut, offerre turtures, aut columbas. in concursu

ad materiale peccati est familiaris aliquibus hæc doctrina.

§. 4. Disp. 13. sect. 9. à §. 224. latè egi contra istos actus Dei vagos & indeterminatos: ommissis autem quæ dixi contra vagas cognitiones, & simplices complacentias Dei, hanc sententiã impugno Primò, ratione B. Thomæ q. 2. art. 2. ad 3. qua probat Verbum non assumpsisse naturam humanam in communi, sed in indiuiduo: quia alioquin omnes naturæ humanæ essent assumptæ: ergo & illa humanitas esset existens in omnibus suppositis. Consequentia patet à paritate rationis. Probo antecedens: quia ratio communis humanitatis, vel sunt omnes humanitates, vel aliqua ratio identificata realiter cum omnibus.

§. 5. Dices, esse omnes humanitates indeterminatè, non verò determinatè. Contra Primò, B. Thomas non colligit assumptionem omnium naturarum ex assumptione omnium in particulari: esset